



1711 12/29 6 1/2 pignori data

Sammeltitel!

D 1307

2



*2.* D. B. V.  
DISSERTATIO PRIOR  
DE

VIRTVTIBVS AC  
VITIIS PHILOSO-  
PHORVM ORIEN-  
TALIVM,

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ. IVLIACI. CLIVIÆ AC MONTIVM.  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ ET RELIQVA.

IN IENENSI ACADEMIA

PRÆSIDE

IO. IACOBO MÜLLERO, D.

MORAL. ET POLIT. PROF. ORDIN.

PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO ÆTERNVM VENERANDO

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOÑET

AVTOR RESPONDENS

IO. IEREM. HEYDENREICH

LAVCHA-THVRING.

AD D. IIX. IVNII MDCC IX.

---

J E N Æ,

LITERIS GOLLNERIANIS.



43

D I S S E R T A T I O

V I R T U T I U M  
V I T I I S P H I L O S O  
P H O R V M O R D I N  
T A L I U M

D O M I N O  
S A R A S S I M O P R I N C I P I S A C D O M I N O

V I L H E L M O M U L L E R I C O  
I N V E N E N S I A D E M I A



P R E S I D T  
I O J A C O B O M U L L E R O D

M O R A L I T A T I U M P R O F O R D I N  
P A T R O N O E T P R O T E C T O R E M O R A L I U M V E N E R A N D O

I O I E R E M H E Y D E R I C H  
L A U C H A T H U R I N G  
A D D I E N N I I M D C C I X

J E N A  
L I T T E R I S G O L D E N S T A N I A E







## SECTIO I.

DE

### PHILOSOPHIS CHALDAEIS.

§. I.

**B**abylonios (a) vel Chaldaeos ortus occasusque coniunctiones & motus coelique variantes vices vultusque post diluuium primitus obseruasse, & praeter Astrologiae, etiam Architectonicae, Arithmeticae, &c. studium magno ardore excoluisse, cum ex aliis, tum etiam ex admiranda illa turris Babylonica totque splendorum aedificiorum structura, quae absque talium peritia fieri non potuisset, evidens est.

(a) Diod. Siculus Biblioth. Histor. lib. 2. c. 8. Cicero de Divinat. lib. 1. in princ. Athanas. Kircher, in Prooem. part. Alter. tom. 2. Oedip. Aegyptiac. Mor. Isaacus in sua Philosophia Syriaca, cuius verba Latine transtulit, laudat. Kircherus in Obelisco Pamphilo fol. 25. lin. 16. & 29. Polydor. Virgil. de invent. rerum. Job. Schefferus lib. singul. de Natur. & Constitut. Philos. Ital. seu Pythagorica, c. V. p. 25. & 26.

§. II.

Equidem non diffitemur, quod jam (a) ante tempora diluviana atque ab ipsis statim subnaecentis mundi primordiis, primus humani generis Auctor, Adam, liberos suos, Seth, Kenan, Mabaleel, Jared & praeter ceteris

A

Heno.



*Henoebum*, qui ob singularem & plane eximiam in Astrologia peritiam a *Græcis*, teste (b) *Eupolemone*, maximus *Atlas* dictus, ipsique hujus artis inventio attributa fuit, in omni generis scientiis ac artibus instituerit, & quæ ore tenus illi aut scriptis a Patre, infusa & supernaturali scientia illustrato, acceperant, summo studio ad posterum propagaverint. Ex omnibus tamen gentibus *Chaldaica* videtur post diluivium esse prima, quæ incredibili labore hoc studium excoluit, perennique studio maximis incrementis auctum, ad *Aegyptios*, *Græcos* aliosque propagavit.

(a) Vid. *Gelaldinus Arabs* in Principio sua *hystoriae* a *Kirkebro* in *Oedip. Egypt.* & *Obelisco Pamphilio* citatus. *Ortho Heurnius*, *Medicinae*, *Anatomiae* & *Chirurgiae* Prof. *Leydensis* celeberr. in *Chaldaico* p. 9. & 10. (b) *Libr. de Judæis.*

S. III.

Quaquam autem, quæ hæctenus de *Chaldaeis* seu *Babyloniis* diximus, omninò veritati consona sunt, multi tamen inventi sunt, qui hanc *Astrologiae* inventionem, ipsis *Aegyptiis* aut etiam *Græcis* attribuerunt. Sic enim de *Aegyptiis* (a) *Achilles Statius*: *Αἰγυπτίους, λόγῳ ἔχει, πρῶτος τοῦ θεωνῶν, ὡς καὶ τὴν γῆν καθάματετῆσαι καὶ τὴν ἐμπνεῖαν τῆς ἐξῆς ἐν εὐλαῖς ἀναγεῖναι.* *Aegyptios*, ferunt, primos omnium tam caelum quam terram esse dimensos, ejusque rei scientiam columnis incisam ad posterum propagasse. Cui opinioni accedere videtur (b) *Josephus Scaliger* in expositione (c) loci alicujus *Manilianii*: Tu, inquit, *Mercuri*, autor es tanti sacri ad duo altaria obeundi, carminis scilicet rerum, vel potius, tu tanti arcani autor es. Nam sacrum etiam ceteri τῶ μυστηρίου. Tu enim primus repertor *Astronomiae* in terris. Neque homines soli per se id adepti fuis-



fuisse, nisi ipsis Diis monstrantibus. *Aegyptios Astronomiam didicisse, docente Mercurio, omnes libri loquuntur. Cui propterea Aegyptii divinos honores habuerunt, & primum mensem Thoth cognominem Mercurio fecerunt; Nam Thoth seu Theu est Mercurius. Et (d) Plato: Audivi, inquit, circa Naucratis Aegypti praeceptorum quendam Indigetum Deorum extitisse, cui dicata sit avis, quam Ibis vocant, Dæmoni autem ipsi nomen esse Theu, hunc primum & numerum & numeri computationem invenisse, & Geometriam & Astronomiam, talorum lusus & alea ludos & literas. Quibus paria producit (e) Lactantius Firmianus, (f) aliique.*

(a) In sua Isagoge. (b) cit. a Kirchero in Oedip. (c) Qui ita se habet lib. I. Astronomico: Tu princeps, Autorque sacri, Cyllenie, tanti: Per te jam caelum in terris, jam sidera nota. Quem primum infernis licuit cognoscere terras Munera caelestium; quis enim condentibus astris clepsisset furto mundum &c. (d) In Phaedro. (e) Lib. I. c. 6. (f) Aristoteles.

§. IV.

Sed enim hunc nodum solvere haud per est difficile, si dicamus, quod (a) *Chamus* bipartita traditione per liberos suos Astrologiam ad posteros transtulerit, instillando eam primum *Chuso*, filio suo primogenito, mox *Nimrodo* ex Chuso nepoti, Noachi pronepoti, qui illam deinde ceteris tradidit Babyloniis; Posthæc vero in Aegypto eadem scientia Astrologica imbuerit *Mizraim*, filium suum secundo genitum, aliosque, quam postea *Mercurius Trismegistus*, alter *Hermes* ad differentiam primi *Hermetis*, *Henochi*, ita dictus, summa industria excoluit, ac duodecim libris, ita tradente (a) *Clemente Alexandrino*, posteris Aegyptiis reliquit. Audiamus ea de re egregie disseren-



rem modo laudatum (b) Kircherum: Dubium hoc loco non exiguum occurrit, quomodo diverse diverforum opiniones concilianda sint, dum alii Autores Astronomiae inventores faciunt Babylonios, alii Aegyptios, Gracos alii. Quam litteram ut dirimam, dico, Chasum seu Zoroastrem primum ante diluivum, sive ab Henoch, Hermete primo sive a Kanaiitis bipertita traditione ad posteros post diluivum transtulisse. Ac primo quidem ea imbuit filium suum Chus sive Nimrodum, Nimrod vero Ninum, a quibus deinde Sarup, Tbare, Abraham, Astronomica peritia celebres viri acceptam posteris Hebraeis tradiderunt: in Aegypto vero primo eadem imbuit Mizraim filium suum, aliosque; quam deinde Mercurius Trismegistus, Secundus Hermes, ac duodecim libris, teste Clemente Alexandrino lib. 6. Stromatum posteris tradidit Aegyptiis, Graci suffuratam sui juris fecerunt, tametsi omnia ex eadem schola profluxerint: Mirum itaque nemini videri debet, Aegyptios & Chaldaeos seu Babylonios, Gracosque de primatu inventionis Astronomica concertasse, cum una quaque harum nationum ejus rei inventae gloriam, quam tanta in aestimatione & admiratione hominum haberi cernebant, sibi vendicarent, &c.

(a) Libr. VI. Stromat. (b) In Oedip. Aegyptiaco tom. 2. part. 1. c. 1. p. 150.

S. V.

Illud saltem circa Celeberr. Kircheri haecenus adducta verba ex historia cum sacra tum profana monendum, quod ipse Chusum cum Nimrodo, huncque cum Ninu perperam confundat. Cum Chus non fuerit ipse Nimrodus, sed hujus pater; Nimrod regni Babylonici, Nitus autem Assyriaci, ut diverforum regnorum ac imperiorum, conditores. Bene haec regna distincturus (a) Diosdorus



dorus Siculus, Ninus, ait, Assyriorum Monarcha, Arabum subsidio instructus, muneroso cum exercitu finitimos sibi Babylonios invadit, Regem eorum debellavit, cum liberis captivum abduxit. Addatur (b) Julius Africanus in fragmento, quod extat in (c) Eusebii Chronico Græco.

(a) Libr. 2. Biblioth. c. 1. (b) p. 14. vid. quoque Christ. Adam Ruperi observat. ad Histur. Univers. Synepsin Befoldiam minorem c. 2. p. 23. edit. Franquerana, qui hunc errorem m. notavit in Vossio lib. 1. de Idololat. c. 16. p. 125. Petavio Rationarii temporum Part. 1. l. 1. c. 2. Riveto, Comment. in Genesin Exercit. 65. aliisque Nimrod, Nimrodi filium consilientibus. (c) p. 14.

§. VI.

Ceterum hanc nostram & Kircheri sententiam, quod Chaldaei sideralis scientia primi post diluvium inter gentes inventores extiterint, atque ab his demum ad alios populos illa dimanaverit, etiam confirmat (a) Josephus verbis seqq. τὴν τε ἀριθμητικὴν ἀριθμῶν καὶ τὰ πρὸς ἀστρονομίαν παραδιδόσκει. Πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραάμ πατρὸς εἰς Αἴγυπτον, οἱ Αἰγύπτιοι εἶχον ἀμαθῶς. Ἐκ Χαλδαίων γὰρ ταῦτ' ἐπιμαθήσαντες, εἰς Αἴγυπτον ὄθεν ἀνήλθον, καὶ εἰς τὰς Ἑλλάδας. Numerorum scientiam, & siderum benignitatem illis communicavit: nam ante Abrahami ad se adventum Aegyptiis ignorabant has disciplinas: a Chaldaeis enim profecta, inde ad Aegyptios & ad Græcos devenerunt.

(a) Annal. 1. c. 8. vid. laudar. Scheffer. c. 5. p. 26.

§. VII.

Non solum autem Chaldaeos siderum & motuum caelestium, sed & rerum naturalium, quin & medendi scientia studiosissimos fuisse, præ ceteris docet (a) Apulejus: Chaldaei, ait, sideralem scientiam, numinum vagantium

status



status, ambitus, utrorumque varios effectus in genituris hominum ostendere, nec non medendi remedia mortalibus, latè pecuniis, terra cæloque & mari conquesta. Idem, qua moralem & civilem Philosophiam de iisdem Chaldæis tradit ex Porphyrio & Laërtio (b) Schefferus, quorum ille τῶν περὶ τὸν βίον ἐπισημασμάτων, præceptorum bene videndi, hic τῶν περὶ τὴ δικαιοσύνης λόγων mentionem injicit.

(a) Lib. II. Flor. (b) c. 5. p. 26.

Dum autem toties Astrologia mentionem fecimus, non perniciosam illam & stultam intellectum volumus, quæ videlicet ex sideribus eventura prædicit, & arbitrio humano vim infert, legibusque & [a] civilibus & [b] Pontificiis interdicta est, sed veram eamque, quæ siderum motus & phænomena mathematico metitur ratiocinio, & doctissimis quibusque hominibus nullo non tempore, magni est habita. Quamvis, quod diffidendum haud est, hæc posterior non ita vigerit, sed a [c] Kanainitis & Chamo imprimis, hujusque posteris successu temporis miris modis corrupta, in manifestam tandem & execrandam superstitionem abierit, multisque artibus sceleratis & præstigiis diabolicis infecta fuerit.

(a) C. tit. de Malefic. & Mathem. & ceteris similibus l. 2. Ars Mathematica damnabilis est, & interdicta omnino, & l. 5. Nemo aruspicem consulat, aut Mathematicum, nemo arviolum. Augurum & vatum prava confessio conticeat. Chaldæi & Magi & ceteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus adpellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Si leat omnibus perpetuo divinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur, gladio ultore prostratus, quicumque iussu nostris obsequium denegaverit. (b) Cauf. 26. quæst. 3. c. 1. S. igitur & questione, V. c. non oportet, & c. Episcopi. (c) Kirche-



Kircherus tomio 2. Sect. 4. c. 1. p. 345. Oedipi *Egyptiæ*.  
Berof. 1. 3. Antiquit.

## SECTIO II.

DE

### ÆGYPTIORUM PHILOSOPHIS.

§. I.

**A**lterum cumque proximum a *Chaldæis* lo-  
cum juxta superius tradita, non immerito  
concedimus *ipsis Ægyptiorum Philosophis*. Ho-  
rum namque plane singularem & eximiam,  
omniumque gentium sapientia majorem fuisse, non  
profana solum, sed & sacra testantur Historia, sic ut vel  
ipsi Græcorum sapientissimi & summa ipsorum lumina,  
(a) *Pythagoras, Plato, Solon, Lycurgus, Homerus, Demo-*  
*critus, Eudoxus* aliique ejus addiscendæ causâ cupidissi-  
mi in Ægyptum excurrere, *ibique apud alienos*, ut ver-  
bis (b) *Schotti* hic utamur, *potius discipuli, quam apud*  
*suos magistri esse maluerint.*

(a) *Diod. Sic. Biblioth. Histor. lib. 1. c. 6. quo loco de Græ-*  
*cis excellentibus doctrina viris eruditionis gratia in Ægyptum*  
*profectis disserit. (b) Præfat. sua ad lector. in Kircheri Oe-*  
*dipo Ægyptiaco.*

§. II.

*Ex Historia Sacra duo habemus illustria loca de sa-*  
*pientia Ægyptiorum eximia: alterum ex Reg. III. c. IV. v.*  
*29. Et dedit Deus sapientiam Salomoni & prudentiam*  
*multam nimis &c. Et superabat sapientia Salomonis*  
*sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum; alte-*  
*rum ex Act. VII. v. 22. ubi sanctissimus Martyrum Ste-*  
*pha-*



phanus Mosis sapientiam Judæis commendaturus : Et eruditus est, ait, omni sapientia, [intellige [a] *Arithmetica*, *Geometria*, *Astronomia*, *Musica*, *Mechanica*, [b] *moralis*, *civili*, *Naturali*, *Medicina* &c.] & erat potens in verbis & operibus suis.

(a) Vid. laud. Schottus cit. I. & Commentat. ad b. 1. Job. Prideaux Operum Theologicorum, Tiguri Anno 1672. excusorum p. 441. & seq. (b) Vid. Conrad. Aslachi *Physica* & *Ethica Mosaica*.

S. III.

Sed ut de sapientia & eruditione *Ægyptiorum*, tan-  
topere etiam in sacris literis deprædicata, nobis dis-  
tincte & particulatim constet, in singulas illius partes  
tanto sollicitius inquiramus. Et quidem quod *Arith-*  
*meticam* seu numerorum scientiam ac *Geometriam* atti-  
net, præter [a] *Phædrum* seu *Socratem*, testis quoque  
est [b] *Apulejus*; quorum ille: Εἰκωνήσαντες λόγους  
τῆς περὶ Φύσεως καὶ γεωμετρίας καὶ ἀριθμῶν περὶ ἡλιεπολι-  
τιῶν Πυθαγοῦ. Communicarunt, [loquitur autem de *Æ-*  
*gyptiis*] sermones de natura, *Geometria* & numeris *Helio-*  
*poli Pythagoræ*. Hic vero: *Celebrior*, inquit, fama obtinet,  
sponte *Pythagoram* petiisse *Ægyptias* disciplinas, atque ibi a  
sacerdotibus caremoniarum incredendas potentias numero-  
rum admirandas vires [male legitur [c] vices] *Geometrie*  
solertissimas formulas didicisse. Neque his obstat, quod  
alii hanc numerorum doctrinam *Phœnicibus* tribuant.  
Cum alia *Arithmetica Phœnicum*, alia *Ægyptiorum*, illaque  
tantummodo vulgaris & simplex fuerit, atque in emen-  
do, vendendoque aliisque similibus in communi vita  
vulgo adhibita; hæc Philosophica atque accommodata  
ad res naturales & divinas. Firmat hanc sententiam (d)

Sto.



Stobaeus: Numerorum disciplinam maximi videtur fecisse Pythagoras, & in medium a mercatorum usu abductam protulisse, rebus omnibus cum numeris comparatis. Aegyptii vero Mercurii, quem Thoth vocant, hoc inventum statuunt. Addi his possunt (e) Diod. Sic. (f) Laërtius & (g) Jamblicus, nisi quod postremus tantum Geometriam nominet, omisâ Arithmeticâ.

(a) In epistola ad Platonem, quae est inter Socraticas ab Alatio editas 26. (b) Lib. II. Florid. (c) Vid. emendationem doctissimi Schefferi ad hunc locum lib. de natur. & constitut. Philos. Ital. c. V. p. 22. (d) Eclog. Physic. c. 2. (e) Bibliothec. Histor. libr. 1. c. 3. p. 37. & c. 6. p. 44. (f) In vita Pythagora. (g) c. 29. vita Pythagora, cujus verba Græca a Luca Holstenio, quem summum sui temporis Philologum vocat Kircherus in Oedipo Aegyptiaco, correctâ & emendata adducere non pigrobor. Ajunt vero Pythagoram in Aegypto studuisse Geometriæ; apud Aegyptios enim occurrunt multa Geometriæ exercendæ objecta, quandoquidem & a præcis temporibus ipsisque adeo Diis propter perpetua Nili incrementa decrementaque necessitas fuit imposita, totam dimetiendi terram, quam inhabitant, Aegyptiis ingeniosis, unde & Geometria nomen suum accepit. Jamblicus addi possunt, Servius ad Eclog. 3. Strabo l. 17. & Herodotus l. 2. qui omnes Nili incrementa ac decrementa artes Geometricas peperisse tradunt.

J. IV.

Astronomie quoque Aegyptios, perinde ut Chaldaeos, apprime deditos fuisse, (a) Diodorus Siculus his notat verbis: Accurate vero & ab aliis quibusdam [intellige Chaldæis] & ab Aegyptiis traduntur ordo & astrorum motus, eorumque descriptio, res multis antea seculis summo studio observata, Planetarum insuper motus, conjunctiones, e-

B picyclos



*picyclos, quas etiam vires circa animantium generationem, quaque aut bona aut mala importarent hominibus, diligenter scrutati sunt &c. Diodoro accinit (b) Laertius, multique alii. Sic enim ille de Aegyptiis: λέγουσι δὲ καὶ ὡς αὐτοὶ γεωμεσίαν καὶ ἀστρολογίαν καὶ ἀριθμητικὴν ἀνεύρουσιν, αἴθρουν τε καὶ ἀστρονομίαν καὶ ἀριθμητικὴν ἀνεύρουσιν, αἴθρουν τε καὶ ἀστρονομίαν καὶ ἀριθμητικὴν ἀνεύρουσιν, αἴθρουν τε καὶ ἀστρονομίαν καὶ ἀριθμητικὴν ἀνεύρουσιν. An & Musica Aegyptii quoque intenti fuerint? difficultas oritur inter Doctores, aliis id negantibus, aliis affirmantibus. Inter illos eminent modo laudatus (c) Diodorus. Palastræ, ait, aut Musica ipsi non vacant, existimantes, quotidianum illius exercitium junioribus non sanitatem allaturum esse, sed breve robur & omnino periculosum. Musivam non solum inutilem, sed & noxiam ducunt, tanquam virorum animos effeminantem. Inter hos vero (d) Jamblicus. Ἀριθμῶν τε καὶ μουσικῆς τῶν ἄλλων μαθημάτων ἐστὶ ἀρχὴν ἐκείνων παρὰ μάταις. In arte numerorum & musices & aliis disciplinis mathematicis ad summum fastigium venit apud Magos. Jamblicus accedunt (e) Schottus & Kircherus, qui Hebræos in conflatione vituli Musicam more Aegyptiorum adhibuisse his tradit verbis: Ex hiæ colligitur, eos, [Hebræos intellige] instrumenta Musica more Aegyptiorum adhibuisse, forte sistræ illa fuerunt & tibiæ, quibus maxime hujusmodi solemnitas in Aegypto peragebatur.*

(a) Lib. I. c. 3. p. 37. edit. Basileensis. (b) in vita Pythag. (c) ibidem. (d) c. 4. Consul. quoque Schefferus de Nat. & Constitut. Philos. Ital. c. V. p. 28. (e) cit. l. (f) Oedip. Aegypt. Templ. Isiaci Syntagm. IV. c. X. p. 122. & 297. & tom. 2. Class. 7. sectione 3. c. 1. & Philo Judæus lib. I. de vita Moysis.

S. V.

*Mechanicam quoque apud Aegyptios maxime in usu fuisse,*





fuisse, præter (a) Herodotum, (b) Diodorum, (c) Strabonem (d) Plinium (e) aliosque testantur quoque tot (f) miræ magnitudinis Pyramidum, Obeliscorum, Colossorum, Fanorum, Sepulchrorum & Labyrinthorum stupenda structura, machinarumque varietas atque profusissima in illis conficiendis Regum magnificentia.

(a) In Euterpe. (b) Bibliothec. Histor. l. 1. c. 2. p. 29. (c) libr. 17. (d) libr. 35. c. 12. (e) Petrus Bellonius, Petrus a Valle. (f) De Mechanica Ægyptiorum prolixè egit Athanasius Kircherus Oedip. Ægyptia. Tom. II. Præfatione 3. classe 8.

§. VI.

Sed nec moralium civiliumque doctrinarum ipsos omnino ignaros fuisse, præter [a] Diodor. Siculum & [b] Sixtum Senensem ostendit [c] Heurnius: Eorum, ait, sacerdotum, qui Ethicæ & Politicæ insudabant, officium erat, judicia exercere, virtutemque præmiorum dulcedine suadem, vitia poenarum acerbitate amara efficere. Et [d] Kircherus, quo loco de Politicæ Ægyptiorum & imprimis c. 6. agit, ex (e) Synesto hanc de Ostride, Iside, Horo & Typhone Historiam speculum quoddam moralis philosophiæ omnibus propositum illiusque hieroglyphicam quandam expressionem esse, docet, ut in eo speculo, quid amplectendum nobis, quidque fugiendum sit, rite cognoscere valeamus.

(a) lib. 2. Bibliothec. Histor. (b) Bibliothec. S. l. 2. lit. A. p. 46. (c) Barbaricæ Philosophiæ Antiquit. l. 1. f. Chaldaico p. 45. & 51. (d) tom. 1. Oedip. Ægyptiac. Syntagm. II. de Politicæ Ægyptiacæ. (e) de Provident. lib. 1.

§. VII.

Præterea quoque Physicæ Artisque Medicæ ipsos per-



ritissimos fuisse, evidens est. Audiamus de illa (a) *Heurnium*: Tradidere, ait, *Aegyptii animam hominis immortalem esse, ipsamque demortuo corpore subinde in aliud atque aliud corpus demigrare; atque ubi per omnia hujus orbis corpora ierit, tandem denuo humanum aliquod corpus subire: Huncque circuitum tribus annorum millibus perfici. Cor eorum, qui nulla morbi violentia depascuntur, cotannis pondus duarum drachmarum assumere, usque ad quinquagesimum annum assumere; ita ut quinquagenarii hominis cor pondus centum drachmarum habeat; a quinquagesimo autem anno ad centesimum usque motu retrogrado cotannis duarum drachmarum pondus deponere, donec simul cum vita evanescat, affirmarunt. Stellas ignem esse dixerunt, cujus temperata mixtione cuncta super terram nascantur. Lunam, cum in terra umbram incurrit, detrimentum pati. Heurnio addimus (b) *Kircherum*, qui quoque modos, quibus *Aegyptii* in explorandis herbarum, plantarum, aliarumque rerum naturalium viribus usi sunt, exhibet, quorum primus fuit, per qualitates elementares beneficio sensuum, quatenus v. g. visu varios colores, flammeeum, rubrum, viride aut purpureum atque ex his diversas temperamentorum in plantis abditorum rationes cognoscebant; auditu sonos, acutum, gravem, tinnulum, obtusum, lenem &c. & ex percussione compaginata stirpis temperamentum discabant. Alter modus erat per signa seu characteres, a sagaci natura rebus impressos, & consistebat in abdita quadam membrorum humani corporis ad diversos herbarum characterismos, quibus illa membra representabantur, analogia, ita quidem, ut si *Aegyptii* capitis morbis mederi vellent, herbam quaerent, cujus fructus aut calix caput representabat: cujus-*



jusmodi erat Pœonia flos, calyci adhuc inclusus, papaver, juglans, nux myristica, liliū convallium, agaricum, idque genus alia. Tertius erat per similitudines rerum ad res. Vide de his modis pluribus differentem toties laudatum Kircherum, qui quoque ibidem ex Cornelio Agrippa & Quercetano refert, non esse hos modos, aut hanc scientiam novam & a recentioribus demum inventam, sed ex orientalium monumentis denuo resuscitam. De Medicina quoque Ægyptiorum, Astræa, Chæræleristica seu Amuletaria, aliisque idem Kircherus (c) late disseruit, adductis eam in rem (d) Paracelso, (e) Cornelio Agrippa, (f) Coclenio, (g) Gaffarello, (h) Marsilio Ficino, multisque aliis.

(a) In Indico c. 16. p. 203. (b) Oedip. Ægypt. tom. 2. class. 9. c. 3. §. 1. 2. & seqq. (c) class. 9. c. 6. §. 1. 2. 3. seqq. (d) in Archidoxia Magicis. (e) in occulta Philosophia. (f) in Polymantia. (g) in libello Gallico de Curiositatibus inauditis. (h) de vita caltius propaganda l. 3. c. 18.

S. IIX.

Ceterum Ægyptii has rerum pulcherrimarum artes & scientias, quibus ipsi addicti fuere, sub anigmatibus, parabolis, symbolis, hieroglyphicis, aliisque involucris & mysteriis repræsentarunt, (a) adeo quidem, ut nihil apud ipsos actum, quod non mysteriis istis undiquaque refertum, & obscuritatis nube cælatum fuerit. Hinc ipsa domus, templa, pyramides, instrumenta & habitus, quos vel in Decorum suorum cultu, vel in sacrificiis, solenni pompa celebrandis, portabant; quin ipsi nutus & gestus, mysticum quoddam rerum altissimarum in se continebant, idque non temere ac casu & sine ulla ratione, aut etiam solius ornatus gratia, ut multis quidem persuasum, sed ut pru-



prudentes tantum praeque ceteris ingenii acumine praestantes res divinas & humanas sub involucris illis occultatas, intelligerent, ceteros autem inertes & ignavos illa laterent.

(a) Clem. Alexandrinus lib. VI. Stromat. Athan. Kircherus in Oedip. Egypt. tom. 2. Sect. 2. c. 3. & in Obelisco Pamphilio fol. 374. Casar Riviera in suo de Mundo magico tract. Italico lib. 1. fol. 22. Deenus in sua Monade hieroglyphica.

§. IX.

Audiamus de hac Mystica Aegyptiorum Philosophia, ex (a) Eusebio (b) aliisque praclare differentem (c) Heurnium: Aegyptii, ait, Osirim & Isim, solem & lunam designare aiebant; Jovem per omnia meantem spiritum, Vulcanum ignem, Cererem terram, Oceanum humiditatem ut & Nilum; cui etiam Deorum generationem tribuebant, Minervam autem aerem. A sole autem & luna universa mundi compage comprehensa originem trahere affirmabant, illum enim ignem spiritumque procreare; at hanc humidam siccique genericem esse; utrumque cuncta ferventem aerem producere. Cumque spiritum praesentem animalibus vitam infundere cernerent, parentem animamque cunctorum ipsum existimarunt. Quod tangens summus Poeta, Jovem, sub cuius numinis involucro spiritum denotabant, hac formula compellat:

- - - - hominum Pater atque Deorum.  
Aerem Jovis filiam nuncuparunt, ac ex vertice ejus natam dixerunt, virginemque existimarunt, tum quod incorruptibilem ipsius naturam esse persuasum haberent, tum quod supremum mundi locum occupare asserebant. Tritonam etiam vocabant, quod tribus anni temporibus, vere, aestate, ac hyeme commutetur. Nilum autem Osiridis nomine inuebant, at mare Typhonis; hincque Osirim a Typhone occi-



occisum afferebant, id est, Nilum in mare erumpentem  
ab eo extingui & obliterari.

(a) Lib. 3. de Preparat. Evangelic. c. 2. (b) Diod. Siculus  
lib. 1. Rer. Antiqu. c. 2. (c) in Indico c. XV. & c. XVII.

S. X.

Et tantum de *Aegyptiorum* omnis generis sapientia  
nobilioribusque placitis. Optandum autem omnino ef-  
set, ut tam præclara in omni scibili doctrina non tot su-  
perstitionibus undique ab ipsis contaminata, & fide-  
rum, quibus nimio opere intenti, cotidiana & frequens  
inspectio non ad pravos errores ipsamque idololatriam  
cum ipsis tum aliis gentibus occasionem dedisset.  
Cum enim deliciosam illi terram inhabitantes, raro in  
ædibus suis & tuguriis se continerent, totamque noctem  
sub cælo sereno ac pacato dormiendo consumerent, fa-  
ctum hinc est, ut ex continua astrorum & imprimis So-  
lis & Lunæ contemplatione, quibus omnium rerum  
sublunarium mutationes, temporumque vicissitudines  
ac distinctiones attribuebant, paullatim in hanc per-  
versam & detestandam abrepti opinionem fuerint, ut  
crediderint, sidera esse DEOS huiusque universi con-  
ditores ac conservatores. Et cum postmodum repeti-  
ta cæli contemplatione, planetarum quoque cetero-  
rumque siderum harmoniam, in varia illa & admiran-  
da ad solem & lunam configuratione elucescentem, ad-  
verterent, præter innumeros Deos minores, duodecim  
præcipuos, soli & lunæ, tanquam principibus astris, co-  
adiutores, eiusdemque divinitatis participes associarunt,  
Deique nomen singulis astris dederunt, & variis illa  
victimis, suffimentis, aliisque ritibus ac ceremoniis pro-  
strati



frati & adorabundi colere ac venerari cœperunt, ut præter (a) Eusebium, (b) Herodotum, (c) aliosque, testatur (d) Mor Isaac, Maronita: Deinde, ait, adduxit tempus & surrexerunt homines (e. semine Chami), corruptis moribus, quorum mens corrupta erat ab ignorantia & opere demonum, qui eos seduxerunt, ac arbitrati sunt unum pro alio & existimaverunt astra spiritu intelligentia prædita, libertatem habere ex se, & potestatem, & paulatim errare eos fecit Diabolus, donec existimarent, astra esse creatores & fautores, imposueruntque singulis sideribus Dei nomen, variis quoque ceremoniis ea colebant, ante ea prostrati & adorabundi; constituebant quoque sub eorum nomine idola varia, quæ super columnas sùdimes & murorum seu parietum fastigia collocabant, eorum figuras variis modis representantes; hiæ quoque victimas & sacrificia offerebant, incensentes ante ea aromata; Diabolus vero certis temporibus loquens ex singulis eorum petentibus responsa dabat, futura prædicens, & abscondita revelans & bonum nuncium de iis, quæ in remotissimis locis faciebant, cito indicabat; incitabat quoque in corde eorum cogitationes, quas aliis revelabat atque ejusmodi plurimos seduxit, usque in hodiernum diem. Fuerunt autem hi ritus proprii Egyptiis, qui postea ad alios transmigrantes totum paulatim mundum infecerunt.

(a) In Chronico suo. (b) lib. 2. Duodecim ait, Deorum nomina primos Egyptios existimasse, atque Græcos ab illis cepisse, eosque primos aras & imagines & templa Diis sibi erexisse, animalia primos lapidibus incidisse. (c) vid. Macrobius, Maximus Tyrius, & Trismegistus ad Apuleianum. (d) in Philosophicis tractat. c. 6.



Ceterum cum omnes libri Doctorum passim hæc Ægyptiorum idololatria referri sint, & Ægyptus veluti fons & seminarium omnis superstitionis fuerit, huic materiæ diutius inharere nolumus, remittentes interim benevolum lectorem, cum ad eos, quos modo allegavimus, tum etiam ad Athanasium Kircherum, quosque ipse commendavit, Autores Oedipi Ægyptiaci tom. I. quod origines idololatriæ & primavæ superstitionis fontes aperuit, & ex variis Doctoribus subinde demonstravit. Agendum nunc esset de *Brachmanibus, Sinensibus, ceterisque Philosophorum Orientalium virtutibus ac vitiis*, sed reservabimus hanc doctrinam insequenti dissertationi, DEO interim debitas pro assistentia sua. exsolventes grates.

F I N I S.

---

## COROLLARIA.

*Vel ex natura relatorum constare posse putamus, quod Jus Naturæ partem Philosophiæ practicæ, ab Ethicæ & Politicæ distinctam, constituturæ nequeat.*

*Moralistas ne quidem mihi inspexisse videntur; qui per actus ex sua natura, cum de moralitate illorum loquuntur, physicè & naturaliter*  
 C  
*tales*




tales intelligunt; neque ulla, idpropter metuenda est contradictio, quam illi, preceptorum de contradictionis legibus haud satis gnari, hic comminiscuntur.

Moralistae non sunt, qui compendium aut Systema Ethicum conscripserunt, sed illi solum, qui in illam Thomae, principis moralistarum, partem de Justitia & Jure, commentati sunt.

Jus gentium oppido distinctum est a Jure Nature, atque ab hoc non solum causa efficiente, materia, forma & fine, sed & effectu formali aliisque differt.

Früstra Petrus Poiretus cogitat. rational. de DEO, natura & malo, quique eum sequuntur, adversus moralitatem internam, profitentes urget, quod injurii sint in Dei dominium & jus absolutum in omnia, cumque dependentem faciunt a rebus ab ipso dependentibus suaque ipsam gloriam spolient. Cum dominium illud & jus non sit absolute tale, sed secundum quid & modificate summum, bonitate, justitia ac sanctitate temperatum, absque ulla dominii aut independentiae divinae a creaturis derogatione.





00 A 6357

ULB Halle

002 845 008

3




56.

v> 98

Rebo











43.  
D. B. V.  
DISSERTATIO PRIOR  
DE

VIRTVTIBVS AC  
VITIIS PHILOSO-  
PHORVM ORIEN-  
TALIVM,

QVAM  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

VVILHELMO HENRICO  
DVCE SAXONIE. IVLIACI. CLIVIE AC MONTIVM.  
ANGARIE ET WESTPHALIE ET RELIQA.  
IN IENENSI ACADEMIA  
PRÆSIDE

IO. IACOBO MÜLLERO, D.  
MORAL. ET POLIT. PROF. ORDIN.  
PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO ÆTERNVM VENERANDO  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOÑET  
AVTOR RESPONDENS

IO. IEREM. HEYDENREICH  
LAVCHA-THVRING.  
AD D. IIX. IVNII MDCCIX.

---

J E N Æ,  
LITERIS GOLLNERIANIS.